Gymnasium zu Schleiz.

Jahresbericht über das Schuljahr

von Ostern 1884—Ostern 1885

mit welchem zu der

Freitag, den 27. März

stattfindenden

öffentlichen Prüfung

im Namen des Lehrerkollegiums

ergebenst einladet

der Direktor des Gymnasiums

Hermann Meier.

1885. Programm Nr. 646.

Schleiz.
Druck der Fürstlichen Hofbuchdruckerei: R. Rosenthal.

I.

Ordnung der Prüfung.

Choralgesang: Aus meines Herzens Grunde.

Von 8—9 Uhr: **Sexta:** Religion. Alberti.
Latein. Rüdiger.
Richard Ludwig aus Oberböhmsdorf: Belle-Alliance, von Sturm.
Karl Meyrose aus Schleiz: Mittwoch-Nachmittag, von Fröhlich.

Von 9—10 Uhr: **Quinta:** Deutsch. Hartenstein.
Rechnen. Stops.
Hans Nitzsche aus Mittelhöhe: Einkehr, von Uhland.
Paul Oswald aus Schleiz: Drei Bitten, von Simrock.

Von 10—11 Uhr: **Quarta:** Latein. Böhme.
Geographie. Hermstein.
Arthur Weissker aus Schleiz: Der Strom, von Reinick.
Otto Berger aus Oberböhmsdorf: Seidlitz, von Fontane.

Von 11—12 Uhr: **Untertertia:** Mathematik. Westphal.
Naturgeschichte. Hartenstein.
Paul Walther aus Ottendorf / Hermann Zernikow aus Gefell } König Enzios Tod, von Zimmermann.

Gesang: Nun ade, du mein lieb Heimatland. Volksweise.

Von 2—3 Uhr: **Obertertia:** Griechisch. Vierke.
Geschichte. Vollert.
Walther Friedrich aus Plauen: Der Ring des Polykrates, von Schiller.

Von 3—4 Uhr: **Secunda:** Griechisch. Meier.
Französisch. Hermstein.
Franz Kirst aus Seehausen: Siegfried, das Ideal eines deutschen Helden. (Eigene Arbeit.)

Von 4—5 Uhr: **Prima:** Latein. Göll.
Religion. Frenkel.

Gesang: Mache Dich auf, werde Licht. Motette von Engel.
Karl Riedel aus Gross-Aga: De Tiberio imperatore. (Eigene Arbeit.)

Choralgesang: Nun danket alle Gott.

II.

Annotationes criticae ad Isaei orationes I, II, III.

Scripsit Johannes Vollert.

I.

Περὶ τοῦ Κλεωνύμου κλήρου.

§ 1. *Ἐκεῖνος γὰρ ζῶν μὲν ἡμῖν κατέλιπε*, conf. § 3 *ἔλυσε*. Annotat Schoemann: »*κατέλιπε* — reliquit, quantum quidem in ipso fuit, quamquam res effectu caruit. Ita infra § 3: *τὰς διαθήκας, ἃς ἐκεῖνος ἔλυσε*, testamentum, quod rescindere voluit — de conatu, ut grammatici loqui solent«. Sed vereor, ut recte hoc iudicaverit vir doctissimus; nam persuadere mihi non possum omnino habere aoristum talem significationem, (quamquam God. Hermann et Schaefer aoristum conativum statuunt) et siquis talem requirat ponat imperfecta *κατέλειπε* et *ἔλυε*, ut Lugebil (Annal. 1884. p. 167) cum Hitzigio (Annal. 1881. p. 105). Aoristus simpliciter narrat rem factam esse. Et hoc, quantum video, optime ad nostrum locum quadrat. Nam eo ipso, quod aoristis utitur Isaeus, videtur *τὸ καταλιπεῖν* et *τὸ λῦσαι* velle statuere quasi re vera facta, etsi neutrum factum erat. Et hoc quidem agit, ut iudicum animos ante occupet atque sibi benevolentes reddat. Atque video Frohbergerum idem fere sentire, qui in Philol. XXIX, p. 631 sic iudicavit: »Non repugnabo, si quis imperfectum reponendum esse censebit; nisi forte *ἔλυσεν* hyperbolice dixit, non quo re vera magistratu adhibito Cleonymus testamentnm irritum fecisset, sed quia animo ad sanam mentem revocatus (§ 11) improbaverat (*ἀπεδοκίμασεν*).« Conf. etiam Herwerden (Mnemosyn. N. S. IX, p. 380), qui dicit: »Pro *ἔλυσε* hyperbolice dicto non corrigendum esse *ἔλυε* docet § 43, nisi forte ibi quoque *ἔλυε*, rescindere volebat, praetuleris.« Denique etiam Buermann aoristos retinet.

§ 3. *ὡς ὑμᾶς εἰσεληλύθαμεν*: sic codices. Putat Cobet (Mnemosyn. IX, 397 sq.) falso *ὡς* huc illatum. Nam semper dici in talibus *εἰς* nunquam *ὡς*, ut *εἰσιέναι εἰς τὸ δικαστήριον, εἰς τοὺς δικαστάς* cet. Hunc igitur Attici sermonis usum non intellexisse Graeculos legentes — nam quid esse *εἴς τινα εἰσιέναι*? — et scripsisse *ὡς*. Qua in re ego cum Cobeto facio et puto h. l. reponendum esse *εἰς*. Nam nullum profecto exemplum inveni, ubi *ὡς* coniunctum sit cum *εἰσέρχεσθαι*, sed semper fere *εἰς*, raro autem *πρός* sequitur. Sed utrum etiam *πρός* post *εἰσέρχεσθαι* in sermone iudiciali sit corrigendum in *εἰς*, id quod Cobet vult, necne, non audeo de hac re sententiam ferre. Cum Cobeto etiam Buermann sentit. Item video Herwerden (Mnemosyn. N. S. IX, p. 380) eandem coniecturam proferre non nominato Cobeto, collato III, 3.

§ 5. Delet h. l. itemque III, 61 et VII, 2 *περί* Herwerden, quod neminem probare arbitror.

§ 7. A Cobeto scribere iubemur pro *ἀπολείποντες*, quod in libris editionibusque est, *ἀπολιπόντες* (ut in secunda oratione saepius pro *πειθόμενος πιθόμενος*). Dicit enim: »nostrum est ubique constituere utrum *λιπεῖν* cum compositis an *λείπειν*, *ἄγειν* an *ἀγαγεῖν*, *ἄγεσθαι* an *ἀγαγέσθαι*, *πείθεσθαι* an *πιθέσθαι*, *βάλλειν* an *βαλεῖν*. In his omnibus supervacaneum est librorum scripturam discrepantem enotare, quoniam ubique contra sententiam et metrum hae formae inter se permutantur.« Concedet hoc fortasse quisque Cobeto; videndum tamen est, rectene hoc Isaei loco participium aoristi ponatur. Id autem Cobet, ut conicio, — nam non dicit, cur participium praesentis intolerabile sit, — propterea scripsit, quod duo aoristi participia antecedunt (*παρακαλέσαντες* et *παρασκευασάμενοι.*) Sed videor mihi intellegere in ipso hoc participio praesentis singularem elegantiam orationis, cum *οὐδὲν ἀπολείποντες τῆς αὑτῶν δυνάμεως* quasi sit consequentia illorum participiorum *καὶ φίλους παρακαλέσαντες* et *ῥήτορας παρασκευασάμενοι.* Igitur *διὰ τὸ παρακαλέσαι* et *διὰ τὸ ῥήτορας παρασκευάσασθαι* nunc sunt *οὐδὲν ἀπολείποντες τῆς αὑτῶν δυνάμεως.* Possit aliquis, ut planior fiat res, addere: *καὶ οὕτως οὐδὲν ἀπολείποντες*, quod tamen minime in textum receptum velim. Ceterum Schoemann, Scheibe, Buermann legunt *ἀπολείποντες*.

§ 9. *Ἐκ λόγων τινῶν.* Schoemann: »propter sermones male sedulorum, qui alterum apud alterum criminantes calumniabantur.« Quae explicatio num recta sit dubito. Nonne *ἐκ λόγων τινῶν* simplicius et melius explicabitur: »propter verba nonnulla« (inimice scilicet dicta) i. e. »propter altercationem?«

§ 11. *Ἀπεκρίνατο πάντων τῶν πολιτῶν ἐναντίον.* Cobet inutile existimans hic scriptum esse *τῶν πολιτῶν* delet ut dittographiam natam ex antecedenti *πάντων.* Sed delendi rationem cogentem ego non video: cur enim, si semel hyperbolice dixit *πάντων*, addere non poterat *τῶν πολιτῶν*? In quo minime offendor, Dobraei autem *παρόντων* et Scheibii *φίλων* necessaria non puto. Buermann retinet *τῶν πολιτῶν.* — Idem Cobet in eadem sententia eici vult alterum *ἐγκαλεῖ* et ante *ἐγκαλεῖ πονηρόν.* Scribit igitur: *ἀπεκρίνατο πάντων ἐναντίον, ὅτι οὐδέν* pro codicis A.: *ὅτι οὐδὲν πονηρὸν ἐγκαλεῖ* (Q. omittit *ἐγκαλεῖ*; v. Buermanni editionem). Nunquam enim, ait, potuisse aliquem *χρηστόν τι ἐγκαλεῖν*, ineptum et ridiculum esse *οὐδὲν πονηρὸν ἐγκαλεῖν.* Sed etiam hoc loco a Cobeto dissentio. Et primum alterum illud *ἐγκαλεῖ*, quod profecto sine detrimento orationis deesse possit et quod hanc ob causam Scheibe quoque cum Dobraeo spurium iudicat, retineo, cum sensui minime noceat; tum autem etiam *πονηρόν* rectissime hic positum mihi videtur, quamvis habeat aliquid, quod si subtilissime disquisiverimus, a logica arte abhorreat. Nam semper id memoria tenendum est, Isaeum esse oratorem et eum quidem oratorem, qui malit paullulum in logicam artem peccare, quam a iudicibus non percipi. Sic illud *οὐδὲν πονηρὸν ἐγκαλεῖν* profecto non nimis absurdum videbitur, praesertim cum ipsi nostro sermone loqui soleamus: jemandem nichts schlechtes vorzuwerfen haben, quanquam Vorwerfen (*ἐγκαλεῖν*) per se iam habeat significationem illius schlechten (*πονηρὸν*), quod obicitur. Hac ni fallor cogitatione commotus etiam Buermann legit *οὐδὲν πονηρόν.*

§ 12. *ὕστερον δὲ τούτων, ὃ μέγιστον ἡμῖν τεκμήριον, ὅτι οὐδὲ ταῦτα ἔπραξεν ἡμᾶς βλάπτειν βουλόμενος.* Quid illud *οὐδέ*? Neque nova res inducitur (auch nicht) neque quicquam sic profertur, ut *οὐδὲ* significare posset »ne — quidem« (nicht einmal), sed sententia est: »minime egisse illud Cleonymum ut noceret suis *ἀδελφιδοῖς.* Postulatur loco illius *οὐδὲ* tale

vocabulum, quale reddatur per minime et nostrum keineswegs vel gar nicht. Hoc autem assecutus esse facile mihi videor, si scripsero pro *οὐδέ ταῦτα* aut *οὐδὲν ταῦτα* aut *οὐ δῆτα ταῦτα*, nam et *οὐδέν* et *οὐ δῆτα* habere significationem keineswegs notum est. Mutatio autem facillima. — Quod paulo post legitur *οὐδέ*, id quoque non recte positum est, puto, ut iam Becker vidit, qui igitur *οὐ περιεῖδεν* scripsit et post Beckerum etiam Cobet et Buermann. Quibuscum ego plane facio, simul professus me ea, quae Schoemann de »relatione quadam inter duo illa membra (*οὐδὲ ταῦτα ἔπραξεν — οὐδὲ περιεῖδεν ἡμᾶς*) et comparatione« annotat, non intellegere, quanquam Scheibe, qui sensum horum verborum perspexisse videtur, Schoemanno assentitur. — Quod denique tertium est in hac paragrapho: *οὐδ᾽ ἑνός* pro *οὐδενός* codicum Scheibium (ut saepius aliis locis) non recte scripsisse iam Meutzner in Annal. phil. 83, 464 et Cobet l. l. demonstraverunt, sicut in Buermanni etiam editione legis *οὐδενός*.

§ 15. *Εἰσεκάλεσεν* Cobet, quem secutus est Buermann, mutat in *ἐκάλεσεν* dicens haec: »*εἰσκαλεῖσθαι* dicuntur, qui ante fores sunt expectantes, dum intro admittantur. Qui medicum, magistratum vocat, i. e. arcessit, *καλεῖν* dicitur, ut paulo ante recte scribitur p. 14: *καλέσαι τοὺς ἄρχοντας* et § 22 *καλεῖν τὴν ἀρχήν*.« Sed *εἰςκαλεῖν* recte se habere probatur (mea quidem ex sententia) eo quod § 14 legitur: *εἰςήγαγεν* et *εἰςαγαγεῖν*.

§ 20. Uno verbo attingam Hertleinii (Herm. XIII, p. 11) coniecturam, qui pro *μόνους ἐβουλήθη τοὺς ἀδελφιδοῦς — ἀκλήρους ποιῆσαι* scribit *μόνος* conferens § 28, ubi legitur in codd. *οὗτος μόνος* cet. Qui autem inspexerit hunc et illum locum, statim videbit diversissimam utriusque esse rationem. Nam § 20 acuitur sensu objectum *τοὺς ἀδελφιδούς*, § 28 autem subjectum *οὗτος* (scil. *Κλεώνυμος*, qui opponitur Cephisandro). Itaque paragrapho 20 *μόνος* falsissimum esset, sed injuria, ut puto, etiam a Buermanno post Jenickium par. 28 librorum lectio *μόνος* mutata est in *μόνους*.

§ 24. *Οὗτος ὅρος ἐστὶ δωρεῶν* (scil. *γεγραμμέναι διαθῆκαι*). Explicat Roeder (Beiträge zur Kritik und Erklärung des Isaeos p. 11): »Ist ein Testament vorhanden, so ist das die Beurkundung der letztwilligen Schenkungen eines Verstorbenen.« Sed non recte explicatum mihi videtur. Nam *ὅρος* non temporalem sed gradus vim h. l. habet, ut ex verbis antecedentibus patet: *τί ποτε ἐπανορθώσας κυριωτέρας αὐτὰς ἡγοῖτ᾽ ἂν ποιῆσαι*; sic Schoemann rectissime: »hoc extremum est in donationibus. Si quis, ait, testamento suo donavit alteri, aliud quiddam, quo haec donatio magis etiam firmetur et stabiliatur, inveniri non potest.«

§ 25. Idem Roeder l. l. p. 13 censet in verbis *ἀνελεῖν μὲν γάρ, ὦ ἄνδρες, οὐχ οἷός τ᾽ ἦν ἄλλο γραμματεῖον ἢ τὸ παρὰ τῇ ἀρχῇ κείμενον* inesse absurdam sententiam, nam testamentum, quod non factum esset, ait, non posse rumpi. Itaque putat oratorem voluisse dicere: »testator si testamento suo adhuc facto voluit quid addere, i. e. si testamentum voluit confirmare, cur id non fecit per libellum peculiarem, cum testamentum depositum adipisci non posset?« Irritum euim facere id non poterat nisi per litteras apud astynomum depositas, i. e. per rescissum id testamentum, quod iam extaret. Suspicatur igitur loco accusativorum *ἄλλο, γραμματεῖον, τό, κείμενον* dativos esse reponendos. Sed haec opinio aperte falsa est. Accusativi suum bonum locum habent, sum sensus sit hic: »Si addere quid voluit testamento (in usum adversariorum), potuit hoc facere litteris quibusdam quamvis non arcessito testamento cum id adipisci non posset. Rumpere enim potuit nonnisi id testamentum, quod apud archontem depositum erat [eamque ob rem arcessivit, ut rumperet]; quae autem confirmarent argumentum testamenti, potuit etiam adscribere novis litteris (neque opus erat ad hanc rem arcessito testamento).

Hoc modo probat utrumque enuntiatum: *ἀνελεῖν γάρ* et *γράψαι δέ*, testamentum nullo modo arcessi oportuisse, immo stultissimum fuisse testamentum arcessere, nisi Cleonymus irritum facere voluisset. Caret igitur fundamento Roederi coniectura.

§ 30. *Ἔπειτα εἰ μὲν καὶ νῦν οὕτω πρὸς ἀμφοτέρους ἡμᾶς ἔχων ἐτελεύτησεν, ὥσπερ ὅτε τὰς διαθήκας ταύτας ἐποιήσατο, εἰκότως ἄν τις ὑμῶν πιστεύσειε* (sive *πιστεύσαι*, c. Buermann), *τοῖς λόγοις τοῖς τουτωνί.* Sic in libris et in editionibus. Cobet referens *καὶ νῦν* ad *ἐτελεύτησεν* (dicens: »quorsum refertur *καὶ νῦν*? Nempe ad *ἐτελεύτησεν*: non datur ullo optio — res est manifesta neque pluribus verbis opus est«) obscuram sibi ipse facit sententiam, — nam *εἰ καὶ νῦν οὕτως ἐτελεύτησε* perversissime dictum esset, — quam ut corrigat scribit pro ***ΚΑΙΝΥΝΟΥΤΩ ΚΛΕΩΝΥΜΟΣΟΥΤΩ***, Cleonymi nomen h. l. summopere necessarium ducens. Sed hic deceptus est Cobet nihilque mutandum traditae lectionis: referendum enim est *καὶ νῦν* non ad *ἐτελεύτησε*, sed ad *ἔχων οὕτω* — tum omnia rectissime se habent: *εἰ μὲν ἐτελεύτησεν*, (scil. *Κλεώνυμος*, cuius nomen ab omnibus facillime intellegitur) *καὶ νῦν οὕτω πρὸς ἀμφοτέρους ἡμᾶς* offensio est neque editores in librorum lectione haeserunt.

§ 33. Cum legebam hanc paragraphum, magnae mihi erant offensioni verba: *ὥστε μηδὲ λόγον ὑπολείψειν*, quae omnino mihi huc quadrare non videbantur. Quid enim, si testator dicitur heredibus reliquisse *οὐδὲ λόγον* — ne facultatem quidem aliquid dicendi? Num bene hoc cui dictum videtur? Minime puto. Quid autem scriberem pro *οὐδὲ λόγον*, nesciebam. Inopi mihi subsidium tulit Cobet, qui correxit: *μηδ' ὀβολὸν ἀπολείψειν* (nam *ὑπολείψειν* in tali re rectum locum non habere contendit, de quo ego iudicare non audeo). Et hanc coniecturam *μηδ' ὀβολόν* unice rectam puto; nascitur sensus optimus et mutatio est tenuissima. Confirmatus sum in mea opinione, quod Lugebil., Annal. 1884, p. 161 idem censuit (allatis locis Aristophan. Nub. 116 *οὐδ' ἂν ὀβολὸν οὐδενὶ ἀποδοίην*. Xenoph. Symp. 3, 8: *οὐδ' ὀβολόν* cet.) et Cobeti coniecturam, cuius similem iam antea protulit Jenicke (Observat. in Jsaeum p. 9.) scribens *μηδ' ὀλίγον*, defendit contra Roederum l. l. et Ueber Cobets Emendationen der Att. Redner cet., Meutznerum et Kayserum (Annal. 1881, p. 109.) et E. Albrechtium (in Philol. Wochenschrift.)

§ 37. *οὐ χρὴ παρ ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ παρ αὐτῶν τούτων πυνθάνεσθαι τὸ δίκαιον.* ***Καί*** uncis inclusit et Scheibe et Buermann, quod superfluum videretur et postularet in antecedenti respondentem particulam *μόνον*, (quam eadem ratione ductus addidit Baiter.) Sed ex Graeco usu saepissime omittitur particula *μόνον*, ubi nos expectemus, et ex vocabulorum positione tantum audienda est, ut in superiore paragrapho in verbis *τοῦτ' ἂν εἰπεῖν ἔχοιεν* expectemus ad *τοῦτο μόνον* oppositum fore. Verto: »man braucht das rechte (gar)nicht von uns, sondern (kann es) auch von ihnen selbst hören.« Sic, ut videtur, particula *μόνον* necessaria non est neque postulatur mutatio.

§ 41. *χρὴ δέ, ὦ ἄνδρες, καὶ διὰ τὴν συγγένειαν καὶ διὰ τὴν τοῦ πράγματος ἀλήθειαν, ὅπερ ποιεῖτε, τοῖς κατὰ γένος ψηφίζεσθαι.* Buermann *καὶ διὰ τὴν συγγένειαν* verba additicia putat esse dicens sequentia tantum ad *τὴν τοῦ πράγματος ἀλήθειαν* pertinere, at de *συγγενείᾳ* esse actum in antecedentibus. Cui sententiae resistit, quod in eadem paragrapho commemoratur *οἰκειότης*, in sequenti *οἰκειότης καὶ συγγένεια*, tum rursus *συγγένεια*. Patet igitur *τὴν τοῦ πράγματος ἀλήθειαν* minime tractari eamque ob rem causam expungendi verba illa cadere.

§ 46. *Δεδώκασιν* non bene Scheibe mutari vult in *ἔδωκαν*. Dicit enim orator: »itaque hanc ob rem etiam leges ei ius hereditatis concesserunt,« i. e. non in hac una re, sed semper

leges in talibus causis hoc concedunt, et hoc etiam illi concesserunt. Hinc perfectum, quod etiam Buermanni editio exhibet. — Haereo autem in aoristo *ἠξιώσαμεν* nullo *ἄν* addito. Nam tota res est fictiva, non de qua iam antea cogitassent. Id enim inesset in *ἠξίωσαν*; ipsos accusatores secum hunc casum iam reputasse; et si forte ille superstes erat, heres erat. Sed non hoc inest. Totus casus fingitur animo accusatorum. Quapropter Bekkero et Schoemanno assentior, simul etiam Cobeto et Emperio, qui omnes pro *οὐδένα ἄλλον* reponunt *οὐδέν' ἂν ἄλλον*. Scheibium et Buermannum igitur, qui cum libris faciunt, erasse puto. — Eam sententiam, quae continuo sequitur: *οὐ γὰρ δήπου ζῶντες μὲν οὕτως ἂν ἐνεχειρίσαμεν αὐτῷ τὴν οὐσίαν, ὥστε περὶ τῶν ἡμετέρων κυριωτέραν εἶναι τὴν ἐκείνου διάνοιαν τῆς ἡμετέρας αὐτῶν ἀποθνήσκοντες δὲ ἄλλους κληρονόμους ἐβουλήθημεν αὐτῶν μᾶλλον ἢ τὸν πάντων οἰκειότατον* Schoemann sic intellegi vult, quasi scriptum esset: *οὐ γὰρ ἂν δήπου ἐπειδὴ ζῶντες ἐνεχειρίσαμεν* —, *ἀποθνήσκοντες ἐβουλόμεθα* ita ut *ἄν* particula ad *ἐβουλόμεθα* solum pertineret; putat autem *ἄν* ex alieno loco huc irrepsisse. Quod mihi non recte censuisse vir doctissimus videtur. Hoc contra teneo: *οὐχ οὕτως ἂν αὐτῷ ἐνεχειρίσαμεν τὴν οὐσίαν ζῶντες* — »non comisissemus illi rem familiarem nostram vivi« (dum viveremus), — *ἀποθνήσκοντες δὲ ἄλλους κληρονόμους ἐβουλήθημεν* »contra alios heredes fieri voluissemus mortui» (si mortui essemus sive moreremur). Explicant haec omnia verba antecedens enuntiatum *καὶ ἡμεῖς οὐδέν' ἂν ἄλλον ἠξιώσαμεν ταύτης τῆς δωρεᾶς*. Germanice vertam: Auch wir hätten keinen anderen dieses Geschenkes für würdig erachtet: denn wir hätten sicher nicht, so lange wir lebten, ihm unsere Habe in die Hand gegeben, bei unserem Tode aber andere zu Erben einsetzen wollen. Sic simpliciter et recte procedunt sententiae, Schoemann autem refellitur. Potuit tota circumscriptio etiam sic esse formata: *οὐ γὰρ δήπου ἐνεχειρίσαμεν ἂν αὐτῷ τὴν οὐσίαν ζῶντες, εἰ ἀποθνήσκοντες ἄλλους κληρονόμους ἐβουλήθημεν.* Pertinet igitur illud *οὐ* simulque illud *ἄν* non solum ad *ἐνεχειρίσαμεν* sed etiam ad *ἐβουλήθημεν*, neque ad *ἐβουλήθημεν* tantum, ut Schoemann voluit. — Legitur *ἄν* in editionibus Scheibii et Buermanni.

II.

Περὶ τοῦ Μενεκλέους κλήρου.

§ 1. *ὡς ἐποιήσατό με Μενεκλῆς* libri. Cobet *ὡς ἄρα ποιήσαιτό με* legendum esse dicit. Nam qui maledicta et mendacia ab aliis in se coniecta indignabundus commemoret, solere *ὡς ἄρα* cum optativo usurpare. Voculam *ἄρα* solere in codd. scribi compendiolo quodam, quod facili negotio aut negligatur et omittatur aut cum littera ***E*** permutatur. Sic ex *ἄρα ποιήσαιτο* natum esse *ἐποιήσατο*. Sed falso hoc dixit Cobetus: nam non acuitur *ἐποιήσατο* (hoc enim conceditur ab omnibus illum adoptatum esse, sed non recte), contra *πιθόμενος γυναικί* et *παρανοῶν*. Illud *ἐποιήσατο* minime in optativum mutandum, nam id agnoscitur ut revera factum.

§ 4. Rectissime autem par. 4 *αἰτεῖ* pro *ᾔτει* scribit Cobetus sic ratiocinatus; »conditio statim placuit, quam proposuit Menecles; quid igitur imperfectum? Sine mora corrige *αἰτεῖ*.« Confirmatur hoc *αἰτεῖ* per sequens praesens *δίδομεν*.

§§ 7 et 8. Interpolationum plenae mihi videntur hae paragraphi; ne igitur quis miretur, si multa eicio etiam post Scheibium et Buermannum Cobetum maxime secutus.

Ac primum quidem ut Cobeto, sic mihi dubium non est, quin post *λόγους ἐποιεῖτο πρὸς ἡμᾶς* delenda sint: *καὶ ἔφη*, ut infra § 11. Nam cum *ἔφη* non praeponitur verbis narratis, sed intericitur (ut inquit vel ait), tum omnino necessarium non est praecedente iam *λόγους ἐποιεῖτο πρὸς ἡμᾶς*; puto *ἔφη* esse dittographiam natam ex eo *ἔφη*, quod paullo infra legitur: *οὔκουν, ἔφη, δεῖν* (sic enim distinguendum puto, ut magis *οὔκουν* ad *δεῖν* pertinere et *ἔφη* interpositum esse appareat), quamquam Cobet etiam alterum hoc deleri vult, a quo dissentio. — Pergitur ab Isaeo post verba: *οὔκουν, ἔφη, δεῖν* sic: *ἐκείνην τῆς χρηστότητος τῆς ἑαυτῆς τοῦτο ἀπολαῦσαι ἄπαιδα καταστῆναι συγκαταγηράσασαν αὐτῷ.* Quibus in verbis id multum habet offensionis quod pronomen *τοῦτο*, cuius significatio h. l. est planissima, (spectat enim ad *τὴν ἡλικίαν ὑφορᾶσθαι τὴν ἑαυτοῦ καὶ τὴν ἀπαιδίαν*) explicatur, non autem explicatur, ut vulgo fieri solet, scilicet, ut post *τοῦτο* sequatur *ὅτι* cum verbo finito, sed per infinitivum *ἄπαιδα καταστῆναι συγκαταγηράσασαν αὐτῷ.* Inania autem sunt haec verba *ἄπαιδα καταστῆναι*, cum idem repetant, quod supra iam aliis tantum verbis expressum erat. Videntur a grammatico quodam margini ascripta esse explicationis causa, deinde in textum irrepsisse. Deleamus igitur cum Cobeto haec duo verba. Restant *συγκαταγηράσασαν αὐτῷ*, quae per se bene stare possunt, etiam eiecto *ἄπαιδα καταστῆναι*, tamen etiam hoc *συγκαταγ. αὐτῷ* implicite inest in *τὴν ἡλικίαν ὑφορᾶσθαι* suspicionemque movet. Accedit autem alia res, quae maiorem fidem facit meae sententiae. Codex enim Q. quem, ut vitia multa, sic interdum rectum exhibet, a viro haud indocto et linguae Graecae non ignaro scriptum esse constat, omittit verba: *ἄπαιδα καταστῆναι συγκαταγηράσασαν αὐτῷ.* Sic aliquantum accrescit auctoritatis coniecturae meae esse eicienda non solum verba *ἄπαιδα καταστῆναι*, verum etiam *συγκαταγηράσασαν αὐτῷ* ut glossema olim margini ascriptum, cuius profecto speciem prae se fert.

§ 8. Ad par. 8. devenimus. Cuius simulatque initium legimus, statim incidimus in aliud quid insiticii, quod, etiam a Scheibio et Buermanno uncis circumclusum, iam per pravitatem sermonis satis ut adulterinum additamentum se praebet. Nam artificem profecto appellabo, qui ex verbis traditis *καὶ ἐκ ταύτης τῆς λέξεως δῆλον ὅτι φιλῶν ἀπεβάλετο. οὐδεὶς γὰρ μισῶν τινὰ ἱκετεύει αὐτόν* sententiam aliquam sanam constituerit. (Idem sentit Albrecht, Herm. XVIII, p. 363.) Et vix hoc turpissimum additamentum removimus, iam in novum incidimus, si recte ego post Cobetum iudico; verba dico: *δοῦναι χάριν ταύτην αὐτῷ.* Nam rursus, ut supra, si haec verba in textum receperimus, explicabitur pronomen demonstrativum *ταύτην* per infinitivum sequentem *ἐκδοῦναι*, deinde, id quod Cobet contendit, Attice dici non potest *δοῦναι χάριν τινί* pro *χαρίσασθαί τί τινι* (jemandem einen Gefallen thun.) Denique minime necessaria sunt haec verba et nihil desideratur, si desunt. Sic eiciamus. Liceat igitur paragraphos 7 et 8 sic ut velim constitutas, exscribere: *καὶ ἐκεῖνος δευτέρῳ μηνὶ ἢ τρίτῳ πολλὰ ἐπαινέσας τὴν ἀδελφήν, λόγους ἐποιεῖτο πρὸς ἡμᾶς τήν τε ἡλικίαν ὑφορᾶσθαι τὴν ἑαυτοῦ καὶ τὴν ἀπαιδίαν. οὔκουν, ἔφη, δεῖν ἐκείνην τῆς χρηστότητος τῆς ἑαυτῆς τοῦτο ἀπολαῦσαι. ἱκανὸς γάρ, ἔφη, αὐτὸς ἀτυχῶν εἶναι. ἐδεῖτο οὖν ἡμῶν ἐκδοῦναι ἄλλῳ αὐτὴν μετὰ τῆς γνώμης τῆς ἑαυτοῦ.* cet.

§ 9. Quomodo explicari possit *μετασχὼν τοῦ οἴκου τῆς μισθώσεως τῶν παίδων τοῦ Νικίου* non video. Videtur mihi aut scribendum *μετασχὼν τῷ οἴκῳ τῆς μισθώσεως* cet. (i. e. »particeps factus per domum [hypothecam] rei familiaris, Niciae liberorum,« indem er mit seinem Hause Anteil nahm an der *μίσθωσις* etc., quae hypothecae saepius fieri solebant. v. Proc. Att. Meieri p. 294 sequ.) — aut ponendum *μετασχὼν τῆς μισθώσεως τοῦ οἴκου* cet., i. e. »particeps factus conductionis domus« sive »cum aliis conducens domum liberorum«. Cum autem ex par.

28 appareat illum non domum conduxisse, sed hereditatem, rem familiarem liberorum, prior explicatio sola videtur locum habere. (Conferas § 28: *τόκοι πολλοῦ χρόνου συνεῤῥυηκότες ἦσαν.*)

§ 10 et 11. Mira profecto est creberrima repetitio pronominis *αὐτός* in his duabus paragraphis: legitur enim non rarius quam u n d e c i e s *αὐτῷ, αὐτῷ, αὐτόν* similesque formae. Fortasse, ut ii, quibus Isaeus hanc orationem scripsit, sunt homines obscuriore loco nati, quippe qui mercenarii fuerint Iphicratis, simplicitatis speciem efficere vult Isaeus, velut Lysias saepius solet, semper repetito hoc pronomine sat simplici. Sermonem autem invenustum fieri nemo non negabit. Confer turpissimae cacophoniae exemplum III, 31: *πλείω ἢ ὀκτὼ ἔτη μὴ ᾔδει.*

§ 12. *Συμβαίνει ἀποδημία*; quae verba multifarie correcta ut falsissime a Klotzio *οἶδα συμβαίνειν ἀποδημίαν* — hoc enim »soloecum« est — rectissime se habent et a Cobeto defenduntur per locum Demosthenicum: *οὐ πολλῷ δὲ χρόνῳ ὕστερον ἀ π ο δ η μ ί α ς τινὸς εἰς τὴν ὑπερορίαν σ υ μ β ά σ η ς τῷ Μειδυλίδῃ.*

§ 13. Dicit Cobet legi non posse: *νόμος — ὃς κ ε λ ε ύ ε ι ἐξεῖναι τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ*, quod componi non possit *κελεύει* et *ἐξεῖναι.* Comparat Is. III. 68 *διαῤῥήδην λέγει ὁ νόμος ἐξεῖναι* cet. Iubet igitur hic scribi *λ έ γ ε ι* vel *δ ι α γ ο ρ ε ύ ε ι* (quod est *διαῤῥήδην λέγει*). Sed non recte hoc distinxit Cobetus; nam *ὁ ν ό μ ο ς κ ε λ ε ύ ε ι*, l e x i u b e t semper, sic etiam iubet *ἐξεῖναι*, i. e. es solle erlaubt sein.

In eadem paragrapho *τ ὸ ἐ ξ ε ῖ ν α ι π ο ι ή σ α σ θ α ι ὅ ν τ ι ν α ἂ ν β ο ύ λ ω ν τ α ι* puto esse glossema marginale: nam non in eadem sententia legi iuxta possunt: *ὁρῶν μόνην τ α ύ τ η ν κ α-ταφυγὴν οὖσαν — τοῖς ἄπαισι — τ ὸ ἐξεῖναι ποιήσασθαι.* Et si quis dixerit epexegetice esse adiectum *τὸ ἐξεῖναι* etc. quasi audiendum sit: »scilicet«, tamen inscita videtur oratio et Isaeo minime digna.

§ 14. In Paragr. 14 Cobeto debetur eiectum *ε ὖ ν ο ῶ ν*, quod minime in hunc locum quadrat: nam »Graeci dicebant *εὖ νοεῖν* et *ἀντευνοεῖν* pro bene v e l l e alicui, *εὔνοιαν ἄγειν τινί, εὔνουν εἶναι.* Cum autem locus nullam benevolentiae mentionem admittat, consequitur errore quodam *εὖ νοῶν* irrepsisse.« Neque vero puto, quod Buermann ad defendendam lectionem profert, si *εὖ νῶον* expungatur, necessariam esse particulam aliquam quae coniungat *ὑγιαίνων* et *εὖ φρονῶν*, recte iudicatum esse.

§ 15. *οὐδὲν ἀντέλεγον αὐτῷ ὡς οὐκ εὖ φρονοῦντι* libri, i. e. non obloquebantur illi, quod (ex ipsorum opinione) sanus esset: sie widersprachen ihm, als einem Gesunden keineswegs. Corrigunt Schoemann, Tyrrwhitt, Turr., Scheibe, Buermann: *ὡς ο ὐ κ εὖ φρονοῦντι* (i. e. *ἀφρονοῦντι*): non obloquebantur ei, ut homini insano (oblocuti essent). Hac correctura idem efficitur, quod tradita lectione; scilicet, tum cum adoptionem faceret, Meneclem ab adversariis pro sano habitum esse. Quam ob rem, cum ne constructio quidem melior fiat, quid tradita scriptura non acquiescemus?

§ 20. In paragr. 20 *δ ι ὰ τ ὰ ς π ρ ο ε ι ρ η μ έ ν α ς α ἰ τ ί α ς κ α ὶ* esse delendum ut glossema, mea ex sententia luculenter demonstravit Albrecht l. l.

§ 24. Post *δοκεῖ καλῶς οὗτος ὁ νόμος κεῖσθαι* delet Cobet insequentia *ὁ π ε ρ ὶ τ ῆ ς π ο ι ή σ ε ω ς* (eademque in p. 26) annotans: »Mihi dabis *περὶ τῆς ποιήσεως* legem nullam Athenis fuisse. Poterat *περὶ τῶν ποιήσεων* aut *περὶ τοῦ ποιεῖσθαι* lex lata esse, sed *περὶ τῆς ποιήσεως* non potuit.« Quod quo jure contendat Cobet, ego non video. *Ἡ ποίησις* enim idem fere est ac *τὸ ποιεῖσθαι* (sive *ποιήσασθαι*). Confer. Latinum sermonem. Sit lex lata d e a d o p t i o n i b u s vel d e a d o p t i o n e vel d e a d o p t a n d o, semper idem sensus inest. Quis autem — Cobet ipse laudat — vituperat talem constructionem, qualis est: *δοκεῖ καλῶς οὗτος ὁ νόμος*

κεῖσθαι ὁ περὶ τοῦ ποιήσασθαι. Sic hic et par. 26 retinenda sunt *περὶ τῆς ποιήσεως.* In eadem autem paragrapho deleo cum Cobeto verba *τοῦ ποιήσασθαι,* quae valde frigent post *τὸν αὑτοῦ ἀδελφὸν ταύτης τῆς ἐξουσίας ἀποστερῶν νῦν* [*τοῦ ποιήσασθαι*], praesertim cum insequens relativum *ἧς* referendum sid ad *ταύτης τῆς οἰσίας.*

§ 27. *Διαφερόμενος* eicit Cobet: »nam neque *διαφέρεσθαι διά τι* dicitur, sed *περί τινος*, de aliqua re cum aliquo contendere et quo tandem pacto dici potuit frater cum fratre defuncto contendere?« Sed non opus est cum Cobeto *διὰ τί* referre ad *διαφερόμενος.* Potest enim *διὰ τί,* ut saepe, etiam hic nihil esse, nisi »cur« vel »quam ob rem« et pertinere ad *ζητεῖ*: «Warum dieser streitend (processierend) seinen Bruder kinderlos zu machen sucht.« Et sic unice recte refertur.

§ 29. *κἀκεῖνος ἠγανάκτει, οἶμαι, καὶ ἠναγκάζετο ὑπολείπεσθαι, οὗ ἠμφισβήτησεν οὗτος.* Nescio quid h. loco velit *ἠγανάκτει.* Nam neque cum superioribus neque cum sequentibus ullo modo cohaeret, sed ratione sane insipida interrumpitur narrationis continuatio, ut mihi videtur. Neque persuadere mihi possum iuxta poni posse *ἠγανάκτει* et *ἠναγκάζετο,* cum minime *ἠγανάκτει* tantum valeat, quantum *ἠναγκάζετο.* Ex *ἠναγκάζετο* enim pendent verba sequentia, *τὸ ἀγανακτεῖν* est res secundaria, minimi pretii. Quam ob rem non in dubio sum quin ex sequenti *ἠναγκάζετο* per errorem scribae natum sit *ἠγανάκτει,* ad quod tum coniunctionis causa et exornationis *οἶμαι* et *καί* addita sint. Deleo igitur *ἠγανάκτει, οἶμαι, καί.*

§ 43. Scribit Naber (Mnemos. N. S. V) pro tradito verbo *εἰ προδώσω καὶ ἐξερημώσας αὑτοῦ τὸν οἶκον ἀπιὼν οἰχήσομαι, πῶς οὐκ ἂν* cet. *προδούς*, ut aequalititatem quandam efficeret cum *ἐξερημώσας*; sed hoc necessarium non est: nam *προδώσω* respondet vocabulo *οἰχήσομαι.* — Tum quod in verbis *πῶς οὐκ ἂν δεινὸν τὸ πρᾶγμα εἶναι καὶ καταγέλαστον δοκοίη* pro *καταγέλαστον ἐπονείδιστον* scribit, id ipsum *καταγέλαστον* mihi videtur esse. Dicit: »improbum facinus est, non *καταγέλαστον.* Audendum aliquid est: cogitavi equidem de adiectivo *ἐπονείδιστον*, quod recte legitur par 41.« Sed *καταγέλαστος* est is, qui risu despicitur, contemnitur qui ridiculus est aliis Nonne hic ipse sensus summopere postulatur? Nonne contemptio? — Pauca post verba libri haec habent: *καὶ οὐ μόνον ταῦτ᾽ ἐστὶ τὰ ποιοῦντά με ἀγωνίζεσθαι τὸν ἀγῶνα τοῦτον ἀλλ᾽ εἰ οὕτω φαῦλος ἄνθρωπος δοκῶ* (scrib. Naber sine ulla ratione *δόξω*) *εἶναι καὶ μηδενὸς ἄξιος* cet., *ταῦτ᾽ ἐστὶ τὰ λυποῦντά με.* Eicit Naberus ea verba, quae significavi ducta lineola. Cur? Dicit: »Viderunt omnes.« (Neque autem Bekker neque Schoemann neque Turicenses neque Scheibe neque Cobet neque Buermann viderunt quicquam) »aliquid abundare: mihi insiticia videntur verba, quae significavi.« (Sunt haec illa, quae ego commemoravi.) Sed videamus precor, qualis verborum constructio evadat, si huic *κριτικῷ* morem gerimus: *καὶ οὐ μόνον ταῦτ᾽ ἐστί, ἀλλ᾽ εἰ οὕτω φαῦλος δόξω εἶναι* cet. — *ταῦτ᾽ ἐστὶ τὰ λυποῦντά με.* Quid tunc volunt *καὶ οὐ μόνον ταῦτ᾽ ἐστί?* Nihil, prorsus nihil. Nam *τὰ λυποῦντά με* praedicatum minime est. Nugas igitur videtur Naber protulisse et orationem paullo uberiorem corrigendo pessumdedisse. — Eiusdem paragraphi in fine Buermann verba *ὑπὸ δὲ παραφρονοῦντος* delet: esse enim superflua et minuere vim enuntiati, praeterea exspectari non *ὑπὸ δὲ παραφρονοῦντος*, sed propter antecedentia *ὑπὸ μὲν εὖ φρονοῦντος μηδ᾽ ὑφ᾽ ἑνός — μόνου ὑπὸ δὲ παραφρονοῦντος.* Sed si verteris verba Graeca videbis omnia rectissima esse. »Non hac una re«, inquit, »moveor, ut causam agam, sed quod videor homo tam malus ac nequam, ut a sano meorum amicorum adoptatus esse dicar nullo, contra ab insano (»unico« si adderemus ad »insano«, valde frigeret), haec res me luctu afficit.«

§ 45. *εἶτα τοὺς νόμους ἐπέδειξα ὑμῖν τοὺς ἅπασι τοῖς ἀνθρώποις ἐξουσίαν διδόντας υἱεῖς ποιεῖσθαι* libri exhibent. In *ἅπασι τοῖς ἀνθρώποις* offenderunt Naber et Blass: ille scribit *τοῖς ἄπαισι τῶν ἀνθρώπων*, mutatione violentiore, quam tamen Buermanno probavit; sed videtur haec coniectura, quam ingeniosam aliquis dicat, non necessaria. Blass contra ex Harpocratione (s. v. *ἀγενής*) restituit *ἀγενέσι* (*τοῖς ἀνθρώποις*), neque huic ego assenserim. Optime enim stare potest *τοὺς ἅπασι τοῖς ἀνθρώποις*, si quidem nobiscum reputaverimus cum etiam in nostra lingua similium superlationum magnam multitudinem usurpari tum minime Isaeum esse eum oratorem, qui accurate metiatur verba.

§ 47. *τὰ δίκαια καὶ τὰ εὔορκα ψηφίσεσθε.* Cobet, quem secutus est Buermann (v. praeter editionem Herm. t. XVII, p. 398), secludit alterum *τά* dicens: »Una est atque eadem sententia: justa atque pia, itaque acticulus repeti non potest.« Sed videtur mihi tamen diversitas aliqua inesse. Nam *τὰ δίκαια* referendum est ad antecedens *τοῦ νόμου*, *τὰ εὔορκα* autem ad *τοῦ ὅρκου*. Itaque articulus, qui secernat, habet suum bonum locum. Ceterum commemoraverim articulum in cod. A non scriptum esse manu propria, a correctore tamen (A I, ut est apud Buermannum) iniectum esse.

III.

Περὶ τοῦ Πύρρου κλήρου.

§ 7. *ὡς μὲν ἔδοξε* tradunt libri, quod ferri posse negat Naber scribens *ὡς μὲν οὖν*, itemque par. 13. Sed correxit hoc nesciens, quam crebro hoc transeundi genus inveniatur et apud Isaeum et apud ceteros oratores. Sufficere enim *μέν* particulam (sequente *δέ* aut non sequente) ad transitionem plenam efficiendam probatur multis locis, ut Isae. IX, 5: *ὅτι μὲν οὐκ ἔθαψε — μεμαρτύρηται ἡμῖν — ἐπειδὴ δέ* cet. Isae. VI, 8: *ὡς μὲν διέθετο — ἀκηκόατε, ὡς δέ* (locus nostri simillimus). Isae. V, 3: *τῶν μὲν μαρτύρων ἀκηκόατε.* V, 25: *ταῦτα μὲν πεπόνθαμεν.* V, 39: *εἰ μὲν τὴν πόλιν οὕτω λελειτούργηκε.* VII, 29: *ἐπὶ μὲν τοσούτων μαρτύρων, ὦ ἄνδρες, γέγονεν ἡ ποίησις.* VII, 37: *τὰ μὲν ἡμέτερα — ταῦτ᾽ ἐστίν.* Possim etiam plura exempla cum ex Isaeo, tum ex aliis oratoribus (ut Isocrate XVII, 13: *τῶν μὲν μαρτύρων ἀκηκόατε*; Lycurgo in Leocrat. 25: *τῶν μὲν μαρτύρων ἀκηκόατε* cet.), sed satis habeo demonstrasse minime necessarium oratoribus Atticis visum esse in transitionibus post testimonia prolata positis *οὖν* inicere, ut Batavus ille Atticorum corrector putabat. — Quin in eadem paragrapho 7 summo jure deleverit Buermann verba *τότε πᾶσι*, dubium mihi non est; ut enim ipsius verbis utar, orator in priore actione temonstravit destimonium Nicodemi falsum e s s e, non falsum v i d e r i.

§ 8. Naberi nonnullas coniecturas, quas sola coniciendi libidine motus fecit uno tantum verbo moneam; cum ipsae satis demontrent, quanti sint habendae.

Delet igitur in par. 8 *ὁ μεμαρτυρηκώς* (profecto sine ulla causa), paullo post scribit: *τῷ τόν γε τριτάλαντον οἶκον κεκτημένῳ* judicans: non est tam stultus Endii frater, ut concedat iustam eam aestimationem esse; illud tantum attinebat dicere, tanti ea bona aestimata fuisse ab Xenocle, Philes marito«. Sed si accurate perlegisset orationem, vidisset tamen Endii fratrem, qui est actor orationis, iustam putare illam aestimationem. Nulla igitur causa extat *γέ* inserendi. — Tum delet in eadem paragrapho *ζῶντα* et *τελευτήσαντος* (nullo jure: eadem enim fere

leguntur par. 78). Praeterea *οὗτος* bis interpolatum iudicat. Profecto, furiose invehitur in verba Isaei, sed ut videtur, alligatis oculis. — Prudentius egit initio par. 8 pro *περὶ αὐτοῦ τούτου πυθέσθαι* scribens *παρά*, quod mihi quoque legenti in mentem venerat. Tamen non Nabero primo debetur haec coniectura, sed Reiskio, is autem non commemoratur a Nabero. — Paullo infra corrigit *περί τε οὖν τούτων* in *παρά τε οὖν τούτων* — »klärlich falsch«, ut cum Blassio loquar (Annal. Burs. 1882, p. 189).

§ 10. Eicit Naber verba: *ἢ ὅσοι ἐκείνου γιγνώσκοντος ἐπλησίαζον αὐτῇ* hac ratiocinatione usus: »Etiamsi habuerit ea mulier alios amatores, quo tempore cum Pyrrho una vivebat, non serio tamen orator ex Nicodemo quaerere potuit, cum soror etiam horum justa uxor fuerit.« Probo, serio minime hoc quaerere poterat: sed est acerbissima ironia, quam Naber non intellexit. Nihil mutandum est.

§ 11. In paragraphi 11 fine idem nos jubet corrigere *αὐτοί* pro *αὐτήν*, quod quam inconsiderate sit actum vel primo obtutu videas: Blassium autem miror, qui Naberi coniecturam probat l. l. — In eadem paragrapho libri habent: *κοινὴν αὐτὴν ὡμολογήκασιν εἶναι τοῦ βουλομένου τὴν γυναῖκα*, in quibus verbis duo mihi displicent. Et prius quidem genetivus *τοῦ βουλομένου* minus apte ad *κοινήν* positus videtur, nam *κοινήν* valde requirit objectum, quod facillima opera adepti erimus, si scripserimus *κοινὴν τῷ βουλομένῳ*, quod etiam in paragr. 16 legitur. Deinde offendor in *τὴν γυναῖκα*, quod mihi superfluum videtur. Nam in sententia *κοινὴν αὐτὴν ὡμολογήκασιν εἶναι τῷ βουλομένῳ* nemo nescit, quis sit illa *αὐτή*. Spectatur autem *ἑταίρα* illa Pyrrhi. Nunc autem additum est *τὴν γυναῖκα*, quod deformat orationem, praesertim cum paullo post sequatur: *ἡ αὐτὴ γυνὴ ἐγγυητὴ δόξειεν εἶναι*, ubi *γυνή* habet significationem uxoris, non mulieris.

§ 12. Naber: »Facile est *τῇ μὴ ὀρθῶς γεγενημένῃ γυναικί* rescribere *ἠγγυημένῃ*.« Sane, facile, sed stultum! Si legisset Cobeti, eius quem semper imitatur, nunquam autem assequitur, annotationem ad orationem primam, qua probatur multis locis *γίγνεσθαι* vel *γενέσθαι* esse passivum verbi *ποιεῖν*, certe hoc non scripsisset. Conf. Buermann et Blass.

§ 15. *καὶ ὅτι οὐδ᾽ ἐξ ἑνὸς ἄλλου φαίνεται τεκοῦσα.* Sic codices. Quae mihi ferri non posse videntur. Respiciamus sententiarum nexum. Omnino demonstrat orator a paragrapho 8—15 mulierem illam, quam Nicodemus *ὀρθῶς* Pyrrho se despondisse ait, non esse uxorem Pyrrhi, sed meretricem. Cuius rei testimonia iam in 8—12 leguntur, item in 13 et 14, ubi *τῶν γειτόνων* testimonia citantur. Nunc in paragr. 15 sequntur verba: *ἀνάγνωθι δὴ καὶ τὰς περὶ τῶν πλησιασάντων αὐτῇ μαρτυρίας, ἵνα εἰδῶσιν* (*ἅπαντες*), *ὅτι ἑταίρα τε ἦν τοῦ βουλομένου καὶ ὅτι οὐδ᾽ ἐξ ἑνὸς ἄλλου φαίνεται τεκοῦσα.* Quid? Num eam ob causam recitari iubet testimonia, ut omnes sciant illam esse meretricem et eandem ne ex alio quidem uno homine peperisse? (Sic Schoemann interpretatur). Minime, puto, nam alterum horum (»eandem ne ex alio quidem uno homine peperisse«) ex testimoniis ne intellegitur quidem, cum testimonia nihil demonstrent nisi illam esse meretricem. Igitur hoc tantum addi potest: *ὅτι οὐδ᾽ ἐξ ἑνὸς φαίνεται τεκοῦσα*, i. e. testimonia ostendunt illam cum meretricem esse tum omnino ex uno homine (Pyrrhum spectat) parere non potuisse. Sed quid *ἐξ ἑνὸς ἄλλου*? Delendum videtur *ἄλλου*.

§ 14. *Ἀλλὰ τῶν γε μεμαρτυρηκότων οὐδενὶ ἐπισκήψασθαι οὗτοι ἠξίωσαν*, sic Scheibe Dobraeum secutus, quia plures testes in priore causa extitisse doceant pp. 13 et 15. Buermann eadem ratione ductus conicit *τοῖς γε μεμαρτυρηκόσιν οὐδ᾽*. Libri: *τῷ γε μεμαρτυρηκότι οὐδ᾽*

ἐπισκήψασθαι cet. Quodsi Dobraei vel Buermanni coniectura recta est, nonne in fine huius paragraphi pro *τὴν μαρτυρίαν* etiam corrigendum est *τὰς μαρτυρίας* et pro ***ΜΑΡΤΥΡΙΑ ΜΑΡΤΥΡΙΑΙ***?

§ 29. Feramusne dittographiam turpissimam, quam quidem ego existimem: *ἐγγυῆσαι φάσκων — ἐγγυῆσαί φησι*? Aut unum aut alterum eicio, et aptius expungetur *ἐγγυῆσαι φάσκων*, quod *φησί* respondet aliqua ex parte praedicato *μεμαρτυρήκασι*.

